



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib.  
XII**

**Caesarius <Heisterbacensis>**

**Antverpiae, 1605**

De milite mortuo, qui nocte serpentes & bufones, loco piscium, ante  
portam filii suspendit, cap. 18.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13177**

## CAPVT XVII,

**S**acerdos quidam de Hispania anno præsentí prope castrum comitis Losensis, dum in crepusculo noctis transiret de villa in villam, vidi in campo vicino torneamentum maximum mortuorum validè clamantium: Domine Walterus de Milene, domine Walterus de Milene: erat idē Walterus in militia nominatus, nuperque defunctus. Intelligens sacerdos illos esse, qui militum nundinas execrabilis repræsentabant, subsistens, circulum circa se fecit: cumque visio cessaret, & ipse procederet, iterum illos videns, fecit ut prius, sic usque ad lucem laborans. Hæ duæ visiones mihi relatæ sunt à Wigero monacho Vilariensi. Referam tibi nunc exemplum de pœna usuriorū,

## CAPVT XVIII.

*De usu  
rario-  
rum pœ-  
nis.*

**M**iles quidam moriens, bonis de usura cōquisitum, filium suum hæreditauit; nocte quadam ad ostium fortiter pulsans, cùm puer occurseret, & quid ibi pulsaret interrogaret, respōdit: Intromitte me, ego sum dominus huius possessionis, nomen suum exprimens. Puer per foramen sepis prospiciens, eumque cognoscens, respōdit: Certe dominus meus mortuus est, non vos intromittam, cumque mortuus pulsando perseveraret, nec proficeret, nouissimè dixit: Defer pisces istos, quibus ego vescor, filio meo, ecce ad portam illos suspendo. Manè exentes, repererunt in quoddam ligamine multitudinem bufonum atque serpentum. Reuera iste est cibus infernalis, qui igne sulfureo decoquitur. APOLLONIUS: Quid sentis de his, qui malè viuunt, & tamē eleemosynas multas faciunt? CAESARIUS: Nihil eis prodest ad vitam æternam.

## CAPVT XIX.

**N**on multi anni sunt elapsi, quod quidam ditissimus ministerialis ducis Bajoariæ defunctus est: Nocte quadam castrum, in quo uxore eius dormiebat, sic cōcussus est, ut terrēmotus fuisse videatur. Et ecce, ostio camere, in qua illa iacebat, aperto,

Yy 4      quo?